



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Pænotanda. Da Analysi seu resolutione fidei.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](#)

Prænotanda.

De Analysis seu resolutione fidei.

Praenotandum primò. Non agi hic de resolutione seu dissolutione actus fidei in sua prædicata intrinseca, & causas extrinsecas efficientem subjectivam finalem, vel etiam formales extrinsecas, ut sunt illuminationes ex parte intellectus, inspirationes ex parte voluntatis &c. Sed pure quæri, quænam sint causæ determinativæ, sive rationes determinantes ad hoc vel illud tanquam à Deo revelatum indubitate tot inter diversas sectas & contradictiones credendum, in quibus firmiter & tutò homo salutis suæ æternæ amans quiescere, & ex quibus simul quænam sit genuina Christi Ecclesia, discerne te possit.

Praenotandum 2dò. Quod Sectarii quicunque & à Romano Catholicæ Ecclesiæ principiis recedentes bonam fidei suæ resolutionem dare non possint. Cùm enim verbum Dei traditum per communem Ecclesiæ in CC. generalibus consensum à primitiva Ecclesia ad nos usque propagatum non admittant simul pro regula fidei, sed solum verbum Dei scriptum, quod ipsi à Catholicis acceperunt. Nec probare ex Scriptura possint hoc ipsum genuinum fideliter transumptum ac versum esse, nec interpretationes, additiones, demptiones tam multiplicium, & in speciem subinde contra se invicem pugnan-

pugnantium S. Scripturæ textuum, quas ipsi faciunt, genuinas esse, multò minus hoc ipsum, quod sacra Scriptura adæquata sit fidei regula, ex sola Scriptura probare possunt. In his angustiis constituti effugiam non habent aliud, quam ad spiritum suum privatum ac internam Spiritus S. directionem, & fundant se in illo 1. Joan. 2. v.
27. *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium.* Sed si hoc totum caput, totamque S. Joannis Epistolam attentè legas & perlegas, clare videbis primo, non excludi ab ipso instructionem Doctorum & Pastorum Ecclesiæ; ut ipse desuper convictus Beza fatetur. Quorū enim posuisset alioqui Deus teste Paulo Apostolos, Doctores & Pastores Ecclesiæ? ne dicam: igitur multò magis non indigere Calvinistas aut Lutheranos prædicantibus Ministris &c. Quorū etiam ipse Joannes hāc ipsā prolixā Epistolā instrueret fidèles? 2dō. Non statui ab ipso interpretem Scripturæ & Ju- dicem controversiarum fidei privatūm cujusque spiritū, sed tantūm velle, ut perseverent in doctrina, quam per ipsius & aliorum Apostolorum ministerium acceperunt, nec fidem Pseu- do-Apostolis vel Apostatis habeant. Hinc v. 26. dicit: *Hac scripsi vobis de his, qui seducunt vos.* Et v. 24. *Vos quod audistis ab initio (ab Apostolis) in vobis permaneat.* Item si in vobis permanserit quod audistis ab initio, & vos in Filio & Patre manebitis. Et quid in Epistola hac pūtē velit Pseudo-Apostolis varias tunc hæreses

spat-

spargentibus (ut erat Ebion, Cherinthus, Basiliades , aliquique Simonis Magi discipuli) non haberi fidem . Patet per contextum totius Epistolæ , v.g. c. i. v. 8. non vult haberi fidem dicenti , quod non simus peccatores . C. 2. v. 9. dicenti *se in luce esse*, & tamen *fratrem suum odit*. Ibid. v. 4. dicenti *se nosse Deum* vel verum esse fidelem . Qui NB. *mandata Dei non custodit*. Ibidem v. 22. neganti , quoniam *JESUS est Christus* , & qui negat *Fatrem & Filium*. Et ideo dicit v. 18. ob sparsas ejusmodi hæreses *Antichristos* multos factos esse , & addit : *Necesse non habetis, ut aliquis ex eis modi scilicet Antichristis doceat vos, & Unctio [id est gratia Spiritus sancti , quam in unctione Sacramenti, Baptismi & Confirmationis accepistis] maneat in vobis.* Ex his iterum patet , quod alias perdecursum in libello hoc indicavi , hæreticos tantum feligere truncatos sive à contextu suo , unde genuinus intelligi potest sensus , avulsos textus , quibus in speciem illudi potest homini in lacris paginis non admodum versato ; rei autem veritatem & illorum malignitatem conspici semper ex contextu . Sicut & in hac eadem Epistola contextus totius capituli tertii errores eorum , qui v. g. fidem sine operibus sufficere contendant , prosternit . Cum in capite hoc , proposito inestimabilis divinæ adoptionis beneficio , ad id retinendum præscribat media sequentia . Primo . Fugam peccati & studium sanctitatis . 2dō . Amorem fraternalm & reliquorum mandatorum Dei custodiam . Demum quia Cap. 4. v. 1. dicit :

Nolit

Seu resolutio fidei.

4

Nolite omni spiritui credere. Hinc jam ulterius
spiritus ille privatus, in quem Heterodoxi fina-
liter suæ fidei resolutionem faciunt, ulterius ex-
agitandus est, & confutatur.

Primo. Quia omnes Sectarii sibi invicem
quoad certa fidei dogmata (v. g. an Christus
verè præsens sit in Eucharistia, vel tantum figu-
ra ejus, an parvuli nondum valentes exercere
actum fidei baptizandi sint, an verè datur Deus
in natura unus personis trinus &c) è diametro
oppositi refugiunt ratione genuinæ S. Scripturæ
intelligentiæ ad spiritum suum privatum, nec
conveniunt in hoc, an omnibus à Spiritu S. de-
tur vera Scripturæ intelligentia, an tantum piis
prædestinatis, an tantum circa creditu ad salu-
tem necessaria, vel etiam circa alia. Ut vide
hic Subsect. 7. Num. 4to, ubi jam homo nil nisi
veram fidem, & per eam animæ suæ salutem
sollicitè desiderans [dam Lutherus v. g. dicit
Sectarios sibi oppositos non habere Spiritum
privatum sanctum, sondern den Lügen-Geist,
& hi eundem honoris titulum in ipsum conji-
cierunt] inter tot contradictiones inveniet me-
dium ad veram unicèque salvificam fidem per-
veniendi? an Christo Domino, qui amore hu-
mani generis sanguinem suum fudit, & veram
in orbem introduxit religionem, & ad eam om-
nes sive agnitionem veritatis teste Script. voluit
peruenire, hanc abnegabimus providentiam
sui amoris erga homines tessetam? quod si non
providerit de certa quadam & universali regu-
la ad eam perveniendi.

ad.

5
Analysis

2dō. Si ego debeam credere Calvinistæ, Lutherano, &c. quod is ad hunc illumine textum, ratione cuius est controversia, juxta genuinum sensum intelligendum moveatur à spiritu suo privato, & hic sit Spiritus Sanctus. Videsis, quæ debeam de isto homine supponere in illorum principiis. *Primo.* Quod fidelis & prædestinatus sit. *2dō.* Quod non mentitur sive contra mentem loquatur, dum mihi dicit, se tale aut tale lumen à Spiritu Sancto circa intelligentiam hujus vel illius textus habere. Superi boni! quis prædestinatus sit, solus Deus novit, quod Lutheranus vel Calvinista hic ille, qui me vult ad veram fidem adducere, mentiri possit, nec necessariò in loquendo verax sit, etiam negari non potest, & neutrum scilicet cum esse prædestinatum, & non mentiri, ex S. Scriptura probari potest. Quomodo ergo super talē fidei resolutionem jacere potero anchoram fidei solidæ ac firmæ? quæ non nisi in jactania, quod quis qua fidelis & prædestinatus verum Dei Spiritum habeat, & testimonio ejusdem hominis, quod ejus verba menti corraspondeant, fundatur. An æquus rerum æstimator tali fragili cymbæ animam confidet suam?

3tio. Nunquid apertus est vitiosus circulus Calvinistæ vel Lutherani fidem in spiritum suum privatum tandem resolventis? dum enim eum interrogo v. g. Cur credis Christum esse verum Dei Filium, & hunc esse incarnatum? respondet id Deum dicere in Scriptura, vel eam id illo & illo capite attestari. Dum ulterius quaro,
unde

unde tu scis hanc esse verum Dei verbum , hoc fideliter versum & ita vel ita intelligendum esse ? responderet , quia id spiritus meus privatus mihi dicit . Interroganti demum , unde probas spiritum hunc privatum non esse spiritum malignum transfigurantem se in Angelum lucis confugit ad textum supra citatum 1. Joan. 2. vel similem ex Scriptura alium , non necesse habetis , ut aliquis doceat vos , sed unctio ejus , scilicet Spiritus S. docet vos de omnibus , Et non est mendacium . An non est hoc dubium per æquè dubium resolvere ? sed quia Adversarii objiciunt , etiam Catholicos facere vitiosum circulum , dum veri verbi Dei scripti existentiam ejusque sensum genuinum probant ex infallibilitate Ecclesiae ita proponentis , & hanc ejus infallibilitatem ex Scriptura . Ut solidè hic & ad captum procedatur .

Prænotandum 3tiò. Circulum committi vitiosum , quando duo æquè dubia per se mutuò declarantur & probantur . V. g. Si probes Patrem Titium esse veracem , quia filius Caius id dixit , & Cajum filium esse veracem , quia id dixit Titius Pater , nec unum vel alterum aliunde vel ex motivo alio tibi constare probas . Si autem alunde id probaretur vel sciretur , jam non esset vitiosus circulus , sed regressus , in quo nil continetur vitii . Sic circulum facio , si nuntio mihi ferenti Regis litteras [in quibus Rex jubet , ut nuntio dicenti has esse Regis litteras fidem habeam] ei id dicenti purè & præcisè credam propter litteras Regis , & litteris Re-

Analysis.

7

gis pure propter testimonium nuntii. Regulus autem facio non vitiosum circulum. Si credam esse Regis litteras non præcisè , quia id nuntius dicit , sed aliunde id colligo v.g. ex ligillo manu subscriptione Regis , vel quia nuntii id dicentis autoritas aliunde mihi nota est , & non ex solis litteris.

Prænotandum 4to. Catholicos igitur non committere circulum in resolutione suæ fidei, quia sic non procedunt. Credo hanc Scripturam hanc ejus versionem , hunc ejus sensum genuinum esse , quia sic proponit Ecclesia habens quoad ejusmodi propositiones infallibilitatem, & hanc infallibilitatem credo , quia eam Scriptura attestatur. Sed quia scio , quod Ecclesia, quæ hoc proponit , vera sit Ecclesia Christi , & consequenter infallibilis non qua credita ob autoritatem Dei revelantis , sed aliunde ex argumentis evidenter demonstrata. Potest equidem reflexè credi , & infallibilitas Ecclesiae & Scripturæ veritas seorsim per diversos fiduci actus pro objecto formaliter sive motivo habentes autoritatem Dei revelantis , sed de hoc aliisque argumentis , quæ in scholis ingenii exercendi & solidandi causâ fiunt , hic non agitur , sed tantum ostenditur , quod in resolutione NB. suæ fidei Romano Catholicî non ita probent infallibilitatem Ecclesiae in proponendo vero Dei verbo ejusque sensu ex Scriptura , & Scripturæ veritatem ex infallibilitate Ecclesiae , ut unum creditum sit ratio NB. tantum determinativa dispositiva seu applicativa credendi alterum & vice

vice versâ , sed Scripturam hanc vel librum
Scripturæ hunc & hunc ejus sensum admittunt,
quia id proponit Ecclesia vera Christi non jam,
quatenus eam veram esse constat ex verbo Dei,
sed quatenus eam talem esse aliundè scitur ex
notis veræ Ecclesiæ & motivis evidenteribus. Et
in hoc Catholici Doctores quoad rem conve-
niunt , licet diverso exprimendi modo vel or-
dine Analysis fidei faciant. Ecce modum unum.

Analysis seu Resolutio fidei Romano-Catholice.

Quartenti cur huic vel illi articulo firmâ fide
assentiar. **R.** Quia Deus infinitè verax &
sapiens illum revelavit. *Instanti* unde constet
illum à Deo revelatum esse , ipsum verbum Dei
scriptum vel traditum allego. *Petenti* quo pa-
sto constet hoc esse verum verbum Dei, & hunc
genuinum ejus esse sensum , do pro ratione te-
stimoniū Ecclesiæ sive intra concilium gene-
rale cum Papa sic definiētis , sive extra conci-
lium , vel actualem Episcoporum cæterorum
congregationem , decisionem Papæ ex cathedra
in materia fidei datam , & per plurimos *saltem*,
respectu renitentium , orbis Catholici Episco-
pos acceptatam. Dico *saltem* , quia tali modo
modificata propositio à nemine verè Catholico
negari potest. Et generalis concilii seu univer-
salis Ecclesiæ consensûs essentia non consistit in
compræsentia physica membrorum & capitum in
una aula vel cubiculo quatuor muris circumda-
to [in quo etiam aliquorum præsentium reni-
tentia

9 *Analysis*

tentia non officit decisioni fidei] sed in plurimorum (respectu paucorum ē opponentium) membrorum , scilicet Episcoporum cum capite hoc est Papa Romano harmonia . *Si queris ulterius* , unde compertum sit hanc scilicet Catholicam Ecclesiam , quæ ex Pastoribus , Episcopis & summo Pastore Papa Romano , ceterisque fidelibus velut ovibus constat veram esse Christi Ecclesiam . *Respondeo* stante Dei propria-
dentiâ & amore ejus erga homines , vi cuius universale medium ad religionem veram & ad salutem necessariam perveniendi dare debuit , eo ipso Romano-Catholicâ Ecclesia falsa esse non potest , quæ cæteras omnes sectas & præten-
tas religiones manifestis credibilitatis motibus antecedit . Vide dicta Subsect . 1ma & aliis plu-
rimis in hoc libello locis . Inter cætera me sane
ad id judicandum cum primis movet contra no-
stri temporis hæreticos , quod ab iis nihil dever-
bo Dei tradito , cultu Sanctorum , necessitate
bonorum operum , libero hominis arbitrio , po-
tentia Dei præcepta servandi , observatione
consiliorum Evangelicorum , purgatorio , Sa-
cramento Eucharistiae , supremo Ecclesiæ capi-
te aliisque obmotum sit ; quod in prioribus sa-
culis jam tum condemnatum non fuerit . Et
quod ea , quæ modò à Romano-Catholicis tan-
quam de fide creduntur , à primitiva Ecclesia
aut primis CC. generalibus , omnibus prio-
rum sæculorum Sanctis , & tam inclitis Eccle-
siae Patribus , Doctoribus , Martyribus , &c. cre-
dita pariformiter sint . Ut tot librorum irre-
fraga-

fragibili constat testimonio, & quod Adversarii nostri (solam fidei regulam statuentes verbum Dei scriptum) traditum quoque in multis admittere debeant, eorumque errores ex ipso verbo Dei scripto (non obstante, quod id toties mutilarint, truncarint) clarè confutari possint. Ut ex libello hoc clarè videbis, si titulos mox de hac mox de illa materia agentes pervolvas. Et ex his de plano sequitur, quod Ecclesia Romano-Catholica cæteras omnes sectas aut prætentas Christi Ecclesiæ manifestis credibilitatis motivis antecedat. *Si jam ulterius urgeas, unde nihilominus sciam hanc ipsam Ecclesiæ esse circa ea, quæ credenda proponit, infallibilem.*

Respondeo id iterum necessariò consequi ex providentia & amore Dei erga homines, qui, si fidem veram & unicè salvificam instituit, ei de infallibili quadam regula, per quam in Ecclesia à se constituta vera à falsis discerni possint, adeoque assidentiâ tali providere debuit, ut non sineret eam errare in quæstionibus fidei decidendi. Et quomodo is permittere potuit vel poterit? ut sponsa, quam pretioso suo sanguine sibi copulavit, & Ecclesia, extra quam nullam aliam veram esse jam supra ex motivis evidentiibus allatis patet, in errores contra fidem incideret: quia sic nulla vera in mundo fuisset fides. *Si demum interrogas, unde mihi constet Ecclesiæ istam hoc vel illud tanquam fidei dignitatem credendum proponere v. g. dari liberum arbitrium, purgatorium, requiri bona opeta, præcepta Dei posse servari, Christum verè esse*

in Eucharistia &c. *Repono id constare ex celebriſſima fama & talibus testimonioſis, quæ nullum prudens dubium relinquere poſſunt.* Et ſic fides mea citra circulum denique *in extrinſeca etiam principia* reſolvitur. Dico *extrinſeca*. Licet enim modò allata poſſint etiam eſſe principia ſeu motiva intrinſecè attacta à judicio credibilitatis, & determinativa, dispositiva, applicativa ſint ad iſum fidei actum de hoc illo articulo eliciendum. Non tamen ſunt principia ſeu motiva intrinſeca iſius actus fidei diuinæ, quo firmiter v. g. credo Christum in Eucharistia p̄ſentem eſſe, quia hic reſolvi debet in autoritatem ac revelationem aliquam diuinam p̄̄viē cognitam & affirmatam.

Atque hæc ſunt, quæ me in agone conſtitutum animare poterunt ad dicendum eum Hugone: *Domine, si error eſt, à te decepti ſumus.* Non poſſumus autem à te infinitè fideli, noſtri amore cruciſxo, & nil niſi ſalutem noſtram per veram fidem, & eorum, quæ docet, obſervationem quærente decipi. Ergo bene facio vivendo & moriendo in illa fide, pro qua *teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.* Dum ei tot inter p̄tēntias religiones maniſta vera fidei signa unicè dediſti. Et ideo ei unicè non autem ob respectum humanum, ſpem terrena acquirendi, aut metum ea perdendi, nec quia in ea natus ſum vel educatus, nec ob quidquam aliud, ſeu proprium etiam critirium, adhæreo. P̄occupationem non habeo niſi ex motivis cuilibet in particuliari, & nil niſi ſalutem æternam

nam quærenti pro fide Romano-Catholica evi-
dentibus. Si pro prætensta alia religione eadem
haberem, & non pro hac ipsa fide, quam pro-
fiteor, certè eam amplecterer. Quia nil aliud
quæro quam vivere & mori in illa fide, quam
ex motivis & principiis evidentibus judicare de-
beo esse veram, & quia talem esse Ecclesiam
Romano-Catholicum agnosco. Utique tu
Deus Ter-optime Maxime in ea me vivere &
mori vis. Hinc non aliud peto Epitaphium,
quam quod tumulo suo inscribi voluit S. Joa-
nnes Gualbertus, qui triduano, ut in horis Ca-
nonicis legitur, ante mortem honoratus Ange-
lotum obsequio Anno salutis 1070. migravit ad
Dominum.

Ego Joannes credo & confiteor fidem,
Quam sancti Apostoli prædicaverunt,
Et SS. Patres in quatuor conciliis confirma-
verunt.

Perpendant hæc Catholici, & in fide sua con-
fortentur. Perpendant Sectarii, & videant,
quomodo quiete vivere & mori possint in sua
lecta attentis tot antilogiis suorum Coriphæo-
rum, qui ipsos eorumque majores à Romano-
Catholicæ Ecclesia abstraxerunt, & in specie di-
ixerunt, primis & tuor sacerulis neendum corrup-
tam fuisse Ecclesiam. Perpendant deum mi-
seri Apostatae, qui propter tria A Aurum scili-
cet, Ambitionem, & Amorem mulierum à
sancta fide & ab ordine religioso tribus Deo ob-

Appendix.

*Quoad principia generalia in controversiis filii
secundum methodum Veronianam.*

AP. Francisco Veron, qui fuit è Societate JESU celebris in Gallia controversista, hac Methodus nomen accepit, tractat illam fusè, & dein ejus habetur compendium, consistit autem generatim in eo, ut (cùm Sectarii debeant possessione ejicere dogma quodcumque fidei, quod à longis retro sæculis amplexa est Ecclesia Romano-Catholica ante illorum ab eadem separationem) ut inquam Catholicus se semper manuteneat in possessorio, & sectarium adigit ad Actoris partem agendum, & quidem ex solo scripto Dei verbo. Cùm id in ejusdem principiis sit sola & adæquata in articulis fidei regula. Ego quatuor mihi adaptavi Methodos quoad quatuor principaliora puncta, de quibus non eodem tamen modo sparsim in hoc libello egredi possum: 1^{um} est ratione verbi divini traditi. 2^{um} Ratione verbi divini scripti. 3^{um} Ratione vulgatae à Catholicis receptæ, & Bibliorum ab Heterodoxis impressorum. 4^{um} Ratione prætensiæ reformationis, quibus demum alia solida adnectam.

Metho